

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Voluntas ae cum fonte primo et editione 1550

Grande malum propria uoluntas qua fit ut bona tua bona non sint.

Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua, tibi bona non sint.

Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua, tibi bona non sint.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 71, 14 (SBO 2, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.224, ll.8-9).

Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum luctari conaretur uniuersum, si non deesset possibilitas, si suppeteret uoluntati facultas?

Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur uniuersum, si non deesset possibilitas, si suppeteret uoluntati facultas?

Bernardus super Cantica sermone LXXII.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in die Paschae*, 3, 3 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.106, ll.6-9).

Voluntatem dico propriam, quae non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod uolumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte caritas, quae est Deus. . . .

Porro uoluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant et timeant serui propriae uoluntatis. Primo nempe subtrahit semetipsam, et subducit eius dominatui, cui tamquam auctori seruire debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc et quod in se est, omnia quoque quae Dei sunt tollit et diripit.

Bernardus sermone 3. De resurrectione domini.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in die Paschae*, 3, 3 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.105, ll.9-14; p.106, ll.2-6).

Propria uoluntas est, que non est communis cum Deo et hominibus. Sed nostra tantum, quando quod uolumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmeipsos facimus, non intendentes placere Deo, et prodesse fratribus. Sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est caritas quae deus est. . . .

Porro uoluntas propria, quo furore, dominum maiestatis impugnat, audiant et timeant serui propriae uoluntatis. primo namque seipsam subtrahit, et subducit dominatui eius. cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc, et quod in se est, omnia quoque, quae dei sunt tollit et diripit.

Bernardus sermone 3. De resurrectione domini.

Flores omnium fere doctorum (Venetiis, 1550), fol.539r.